

Bautain, Bon-
nety,

Traditionalismum docere potissimum Bonald, Lamennais, *Ludovicus Eugenius Maria Bautain* (n. 1796 + 1867), *Bonnety* et quidam alii scriptores Annalium Philosophiæ christianæ in Gallia per aliquot annos, ac demum P. *Ventura Raulica* (1), qui licet optimo consilio ducti, grassantem Rationalismum profligandum suscepissent, excesserunt tamen, rationem plus æquo deprimentes. Adversus Traditionalismum egregie scripsere *Lupus* et P. *Chastel* e Societate Jesu.

Ontologismum.
Gerdil,
Ubaghs,
Gioberti etc.

121. Ontologismum professi sunt post Mallebranchium Cardinalis *Sigismundus Gerdil* pedemontanus (+1821) vir doctissimus, *Ubaghs*, *Mæller de Classens* aliique scriptores lovaniensis periodici libelli *Revue Catholique* in Belgio in primis temporibus; *Gioberti*, P. *Josephus Romano* et alii (2).

Scholastici
recentissimi;

122. Scholastica Philosophia in effreni opinandi licentia cum tanta mentes hominum invasisset colluvies absurdissimorum systematum, jacebat hoc sæculo ineunte miserandum in modum, donec opera præstantissimorum scriptorum pedentim erigi cæpit atque in pristinum honorem restitui. Quo in opere primas tulit P. *Matthæus Liberatore* e Societate Jesu, neapolitanus, qui jam anno 1841 cursum philosophicum edidit, eumque magis et magis perfecit plusquam duodecim editionibus factis ad annum usque 1860, cum novam longeque auctiorem et meliorem elucubravit editionem tria complexam volumina, ac trienniali Philosophiæ studio accommodatam. Ab anno demum 1860 pluries idem opus editum est magis elaboratum. Huic cursui plura alia, eaque non vulgaria opera philosophica addidit idem clarus auctor (3). Hæc initia juvit «opus periodicum, cui nomen *Civiltas Catholica*, quæ anno 1853 palam professæ est (4) instaurandam esse Philosophiam S. Thomæ, veluti unicum inveteratis scientiarum malis remedium» (5). Prodiere deinde alia scripta, quæ inceptum opus promove-

(1) Gonzalez, par. 87-88.

(2) Vid. Gonzalez, par. 75.

(3) *Della Conoscenza intellettuale; Del Composto umano et Dell' Anima umana.*(4) *La Civiltà Cattolica*, anno quarto, seconda serie, vol. 3 pag. 265, *Del progresso filosofico possibile nel tempo presente.*(5) Liberatore, *Institutiones philosophicæ*, vol. 1, pag. v. Prati, 1881.

rent, in quibus præcipua tantum hic nominanda sunt. P. *Aloysius Taparelli* e Societate Jesu præclarum tractatum lucubravit de *Jure naturæ*, *Cajetanus Sanseverino*, canonicus neapolitanus anno 1862 evulgare cæpit opus pluribus constans voluminibus, cui titulus: *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata* (1). Circa idem tempus P. *Josephus Kleutgen* Soc. Jesu, germanice scripsit *Philosophiam veterum expositam et defensam*, quod opus deinceps in linguam italicam conversum est. P. *Salvator Tongiorgi* ex eadem Societate, suas edidit *Institutiones philosophicæ*, quarum vestigia et imitationes passim cernere est in quibusdam libris philosophicis, qui postea prodierunt. Accessere mox P. *Joannes Maria Cornoldi*, *Dominicus Palmieri*, Em. Card. *Thomas Zigliara*, ac recentissime P. *Sanctus Schiffrini* (2) in Italia; PP. *Tilmannus Pesch* (3) ac *Theodorus Meyer* (4) e Soc. Jesu in Germania; P. *Joseph Costa Roselli* ejusdem Societatis (5) in Austria; P. *Lepidi*, neapolitanus, e S. Ordine Prædicatorum (6), P. *Ludovicus de San* (7). *Van der Aa*, ac nuperrime *Gustavus Labousse* (8) uterque e Societate Jesu, in Belgio. In Hispania superioribus hisce temporibus *Philosophiæ rudimenta* evulgavit anno 1861 P. *Josephus Fernandez Cuevas* e Societate Jesu, quem secuti sunt inter alios Eminentissimus Cardinalis *Zephyrinus Gonzalez* e S. Prædicatorum Ordine, Archiepiscopus hispalensis, pluribus scriptis philosophicis clarissimus; P. *Joachim a Jesu Alvarez*, Venerabilis Familiæ Augustinianorum alumnus, P. *Josephus Mendive*, e Societate Jesu, qui post egregium opus

Taparelli,

Sanseverino,

Kleutgen,

Tongiorgi, alii-
que recentiores.(1) An. 1864 idem auctor edidit *Elementa Philosophiæ christianæ cum antiqua et nova comparata.*(2) Edidit *Principia Philosophicæ ad mentem Aquinatis*, Augustinæ Taurinorum 1886; et *Disputationes Metaphysicæ*, vol. 2. Augustæ Taurinorum 1888.(3) *Institutiones Philosophiæ naturalis*. Friburgi Brisgovix, 1880 et *Institutiones logicæ*. Friburgi Brisgov. 1888.(4) *Institutiones Juris naturalis* Friburgi Brisgovix, 1885.(5) *Institutiones Ethicæ et Juris naturæ.*(6) *Examen philosophico-theologicum de Ontologismo.*(7) *Institutiones Metaphysicæ specialis*, Lovanii 1881.(8) *Prælectiones Metaphysicæ specialis.... Cosmologia*, Lovanii 1887; *Psychologia*, Lovanii 1888; *Theologia naturalis*, Lovanii 1888; *Logicæ et Ontologiæ*, Lovanii, 1889.

contra Gullielmum Draper conscriptum, cursum Philosophiæ hispanice lucubravit, illumque mox ipsemet latinum fecit; et *D. Joannes Emmanuel Orti y Lara* qui, qua voce, qua variis in lucem editis libris, optime scholasticam doctrinam tradidit. Facendum tamen est unum aut alterum horum auctorum in quibusdam controversiis alicujus momenti a Scholasticorum sententiis abhorre. His addi merentur, ut cæteros omittam, Illmus ac Revmus *Thomas Camara* e S. Augustinianorum familia, episcopus Salmanticensis, *P. Michael Mir*, e Soc. Jesu, *Antonius H. Fajarnes*, *Antonius Comellas y Cluet* et *Marcellinus Menendez Pelayo* qui licet scholastici non sint, opera tamen memoria digna ediderunt.

§ IV.—CONSILIUM HUIUS OPERIS CONSCRIBENDI.

Consilium
et ratio huius
operis.

123. In tanta sectarum nominumque varietate ego semper Scholasticos, ut præcipuos Magistros colui, eorumque vestigia et nominatim S. Thomæ, quemadmodum leges nostræ præcipiunt (1), premam in hoc qualicumque opere, in quo, multorum hortatu amicorum ea quæ Romæ per plures annos in

(1) En quid doceat hæc de re Congregatio V.ª sub Claudio Aquaviva, Præposito Generali Societatis Jesu, coacta: «*Nostri omnino S. Thomam, ut proprium Doctorem habeant, eumque in scholastica theologia sequi teneantur.... Non sic tamen S. Thomæ adstricti esse debere intelligantur, ut nulla prorsus in re recedere liceat; cum illi ipsi, qui se Thomistas maxime profitentur, aliquando ab eo recedant; nec arctius nostros S. Thomæ alligari par sit, quam Thomistas ipsos.*»

«*In questionibus mere philosophicis, aut etiam in iis, quæ ad Scripturas et Canones pertinent licebit sequi etiam alios, qui eas facultates magis ex professo tractaverunt.*» Institut. Soc. Jes. t. 1. Congr. Gen. V. decr. 56, n. 1. 2. 3. Cfr. Reg. 2 et 3 Professor. Theol.—Itemque: «*Nulli sectæ, ut Averroistarum, Alexandrinorum et similium, vel se vel suos addicant; nec Averrois aut cæterorum errata dissimulent; sed inde acrius eorum auctoritatem depriment.*» Contra vero de S. Thomæ nunquam non loquantur honorifice: libentius illum animis, quoties oporteat, sequendo; aut reverenter et gravate, si quando minus placet, deserendo.» Ibid. Congr. Gen. V. decr. 41, n. 3. Cfr. Reg. 5 et 6 Professor. Philos.

In his conficiendis decretis Cardinalis Bellarminus simul cum alijs gravissimis sapientissimisque Patribus allaboravit in quinta general Congregatione: illaque nunquam postea abrogata fuisse, sed e contra sæpe alias, ac nuperrime a postrema Congregatione (decr. 15 et 18 confirmata.

Gregoriana Universitate et alibi voce docueram, scriptis nunc evulgare decrevi. Illud autem fuit meum consilium, quod jam diu executioni ab alijs mandari vehementer cupiebam, ut nempe nondum penitus omnibus notos, qui in libris S. Thomæ aliorumque summorum virorum continentur, doctrinæ thesaurus recluderem, atque ex his recentiores errores confutarem. Hunc in finem non dubitavi verba sæpe ac longiora veterum loca exscribere meaque facere. Quid enim verear, quæ summi viri sapientissime, longeque melius quam ego possim, dixere, ea iisdemmet verbis iterare? Et veterum quidem scripta monumenta diligentissime consulenda meditandaque semper judicavi, neque enim approbari potest Rationalistarum stulta opinatio dicitantium, in Philosophia abjiciendam penitus esse traditionem majorum, quasi vero Philosopho, more poetarum, omnia de novo, prout cuivis libuerit, fingenda sint. Quod si in artibus ac mathematicis physicisque disciplinis omnes vel magistrum quaerunt, vel labores aliorum consulunt, quibus in suis studiis doceantur diriganturque, quis sanus, quæso, negaverit idem faciendum esse ad altissimam difficillimamque omnium humanarum disciplinarum, Philosophiam, assequendam? Equidem persuasissimum habeo, neminem hactenus vel mediocrem philosophicarum questionum notitiam suis dumtaxat viribus fretum comparasse, nec ipsam Aristotelem aut S. Thomam ad tantam sapientiæ laudem perverturos fuisse, nisi scripta majorum assidua lectione atque attenta meditatione versassent.

Ceterum quomodo decreta hæc observaverint optimi quique Auctores nostri, quidve de Angelico Doctore senserint et scriptis et elogiis suis luculenter docuerunt Ludovicus de Molina (*Comment. in 1^m partem, præfat. pag. 16*), Petrus Fonseca (*Metaphys. t. 1. Admonitio Lectoris*); Card. Toletus (*Enarrationes in Summ. S. Thomæ tom. 1. pag. XXXI. et 5 etc.*, et in *Physica—Ad Lectorem pag. 2*), Franciscus Suarez (*Prolegom. 6 de gratia, cap. 6, n. 28; Præfat. in tractat. de Incarnatione*), Gabriel Vazquez (*In 1^m part. disp. 3, n. 6 seqq.*), Gregorius de Valentia (*Comment in 1^m part. Præfat.*), Benedictus Pereira (*De communibus omnium rerum principijs, Præfat. pag. 2*), Joannes Martinez de Ripalda (*De Ente supernaturali. disp. 8, sect. 6, n. 26*); Iossada *Cursus Philos. tom. 1.º in epist. nuncupatoria ad Exim. Doctorem...*) alique. Quæ si quidam viri considerassent, numquam Scriptores Societatis velut juratos Aquinatis adversarios et oses iniquissime traduxissent.

Jam si is, qui summus evadere philosophus cupit, alios auctores consulat necesse est, eos potissimum querere debet, qui inter cæteros doctrina et ingenio aptaque methodo emicarunt. Ac tales profecto fuere Scholastici, sub quibus Philosophia ad maximum, quem unquam habuerit, splendorem evecta est, et quibus deficientibus, illa quoque pene defecit, aut certe turpissimis erroribus deturpata est, atque incredibilis delirii desipuit. Neque tamen is ego sim, qui solos Scholasticos audire velim, eaque dumtaxat amplecti quæ illi docuere. Sicut enim ipsi multa suis majoribus addidere, poterunt quoque et ipsis alia posterius addere, ac de facto addiderunt in re potissimum physica et mathematica, quorum nos rationem habere oportet, immo etiam ad eorum normam, ubi opus fuerit, quædam veterum placita reformare. Faxit Deus, ut scholastica Philosophia, ad maximum Theologiæ, atque adeo christianæ Religionis emolumentum, pristino honori restituatur, quemadmodum Sanctissimus Dominus Noster variis modis, ac potissimum encyclicis suis Litteris *Æterni Patris*, vehementissime se cupere ostendit, jamque obtineri pluribus in locis cæpit.

Scribebam Vallisoleti diæ Immaculatæ Virgini sacro, anno 1889.

LOGICA

PROÆMIUM

1. Logica definiri potest ad mentem Angelici Doctoris: *Ars directiva ipsius actus rationis ad verum assequendum, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat* (1).

Definitio Logice.

Dicitur *ars*, quæ nihil est aliud ex eodem Aquinate, quam *certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt* (2): est enim Logica institutio quædam mentem erudiens ad verum assequendum.

Dicitur *directiva ipsius actus rationis*, ut discriminetur tum ab artibus, quæ corporis membra dirigunt, quales sunt mechanicæ aut fabriles, tum etiam ab iis quæ ad alias animi facultates dirigendas inesse possint. Id namque proprium sibi Logica vindicat, ut intellectum ipsum ad veritatem in studio scientiarum capessendam instituat. Quamobrem merito a S. Augustino appellata est, *disciplina disciplinarum*, quæ *docet docere... docet discere... scit scire: sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest* (3).

Quamquam enim non solos mentis actus tractat Logica, sed multa quoque disserit de vocibus; eo tamen omnia tandem dirigit, quemadmodum suo loco fusius disputabitur, ut

(1) S. Thom. Commentar. in 1.^{am} librum *Posterior. Analyticor.*, lect. 1.

(2) S. Thom. *ibid.* Cfr. *Conimbricenses Commentar.... in Universam Dialecticam Aristotelis*, proem., q. 1, a. 2.

(3) *De Ordine* lib. 2. c. 13. Cfr. *idem S. August. De Doctrina christ.* lib. 2. c. 37, et *Contr. Crescon.* lib. 1. cap. 17.

intellectum humanum, instar sapientis magistræ, tutam doceat viam ad scientias comparandas.

Ideo etiam per Logicam dicitur homo edoceri, ut «*in ipso actu rationis ordinatè et faciliter et sine errore procedat*» Etenim potest quidem intellectus insita sibi vi veritatem attingere scientiasque addiscere; ut autem id *ordinatè, faciliter ac sine errore* obtineat, absque Logicæ præsidio fieri nequit. Non quia Logica infallibilitatis donum intellectui præstet in veritatibus indagine; sed quia quicumque hanc artem callebit, exercebitque, quantum patitur in hac vita imbecillitas humana, habebit unde possit facilius errores cavere, quibus mentem, Logicæ adjumentis distitutam, turpari necesse est.

Alia Logicæ definitio.

Huic affinis est definitio illa, qua Logica dicitur esse *ars sive doctrina disserendi* (1). Quam definitionem ut recte interpreteris, nota cum Conimbricensibus, vocem *disserere* quandoque idem valere ac *sermone uti* (2), alias idem ac *probabiliter disputare* (3), tertio idem atque *argumentari* (4), denique idem ac *signotum ex iis quæ nota sunt patefacere, sive id fiat argumentatione, ut in tertio significato, sive definitione aut divisione* (5). In allata ergo Logicæ definitione vox *disserere* in hac postrema significatione desumitur: non quasi sola Dialectica vel Logica «*veritatem inquirat disserendo, id enim cæteris disciplinis commune est, sed quod ea tantum doceat, quo pacto mens nostra recte et sine errore disserat, id est, incognita ex notioribus investiget*» (6).

Cur vocatur Logica.

2. Quamobrem recte appellatur hæc disciplina Logica, a græca voce *λόγος*, seu rationalis scientia. *Quæ non solum rationalis est ex hoc quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc quod est circa ipsum*

(1) Vide apud Fonseca *Institutionum dialecticarum*. lib. 1, cap. 13; Conimbric. Op. et loc. cit., quæst. 4. proemial art. 1.

(2) Ita apud Platonem et Aristotelem citatos a Conimbricensibus.

(3) Ita apud Ciceronem lib. 3 de *Natura deorum* fin., et sæpe apud Aristotelem, de quo vide Conimbricensibus.

(4) Ita apud Ciceronem, de *Finibus*.

(5) Conimbric. loc. cit. Hac acceptione vocis usus est Cicero. lib. 1 *Academicar. question.*, cum ita scripsit: «Nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique, ut hæc omnia *disserendi* verbo complectar, artem esse *disserendi* putant.»

(6) Conimbr. loc. cit.

actum rationis, sicut circa propriam materiam. Et ideo videtur ars artium, quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt (1).

Vocatur etiam *Dialectica*, ex græca voce *διαλέγεσθαι* quasi *ars recte disserendi*. Etenim quamquam verum sit, *dialecticam* sæpe ab Aristotele (2) aliisque antiquis doctoribus eam tantum Logicæ partem specialiter appellari, quæ de syllogismo *probabili* disputat, tamen usus jam communis, ipsius Aristotelis, Ciceronis aliorumque veterum auctoritate confirmatus, nos docet totam quoque Logicam, *Dialecticæ* nomine designare (3).

Denique, ut alia omittam nomina, dicitur etiam Logica, ex præcipuo ipsius objecto, *Modus sciendi*, itemque *Organum* scientiæ, quia docet modum disserendi, estque velut commune scientiarum comparandarum instrumentum, dum præceptis suis viam sternit ad eas addiscendas.

3. Ex prima istarum definitionum facile colligitur: 1.º Materiale objectum proprium Logicæ nempe actus intellectus, licet de hoc alibi disputandum est. 2.º Objectum, quod vocant formale Logicæ sunt actus intellectus, prout artificiose disponendi ac dirigendi ad verum assequendum: sub hac enim ratione et consideratione disciplina hæc tractat actus rationis, et sic discrepat a scientia de *Anima*, quæ de iisdem quoque actibus disputat, sed sub alio respectu, nempe secundum eorum *esse* physicum ac naturale. 3.º Finis proximus est normas recte disserendi tradere, remotus autem est mentem in assequendis scientiis dirigere ac juvare (4). 4.º Utilitas denique maxima, nec solum ad humanas, verum etiam ad ipsas divinas scientias addiscendas: quare nihil mirum, si vel ab ipsis Ecclesiæ Patribus aliisque auctoribus commendata

Dialectica,

Modus sciendi et Organum.

Objectum materiale et formale Logicæ;

finis,

utilitas.

(1) S. Thom. In lib. 1.ºm *Poster* lect. 1.

(2) Vide *Topicor.* lib. 1. c. 1, 2, et sæpe alias.

(3) Ita loquuntur etiam Petrus Hispan. cum suo interprete Versorio in *Summulis Logicalibus*; Petrus Fonseca in *Institutionibus dialecticis* et Lib. 2 *Metaphysic.* c. 3, q. 1. sect. 2; Franc. Tolet. *Introductionis in Dialecticam*, lib. 1. c. 1; Conimbric. *In Universam Dialect. Arist.* Quæst. proem. 4.º a. 1, ubi fuse atque egregie de his, sicut et Fonsec. *Metaphys.* lib. 2, loc. cit.

(4) Cf. Conimbric. loc. cit. q. 4, a. 1 fin; Fonsec. *Institut. dialect.* lib. 1, cap. 1 et Commentar. in *Metaph.* libr. 2. c. 3, q. 1 a. 2.

Elogia Logice

Logica sit (1). Ideo a quibusdam scriptoribus vocatur «*examen et libra veritatis*»; ab aliis *formatrix sapientiæ, regula et mensura artium, clypeus disciplinarum, mundi rationalis, id est, humanæ mentis sol, rationis oculus, scientia ordinis, clavis aurea, scientia scientiarum*» (2). Nec solum utilis Logica, verum etiam necessaria aliquo saltem modo ad alias scientias addiscendas communissime existimatur, quemadmodum alibi dicitur.

Nec vero te moveat in contrarium censura S. Augustini, qua regulas dialecticas carpere tamquam parum utiles videtur: «*Plerumque accidit, inquit, ut facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium præceptorum nodosissimas et spinosissimas disciplinas.... Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quam præcepta ejus capit: tardus autem eam non videt, sed multo minus, quod de illa præcipitur. Magisque in omnibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quam ex eis in disputando aut judicando adjuvatur*» (3). Origenes vero (4) et Tertullianus (5) S. Hieronymus (6) alique Apud Card. Aguirre (7), *disp. 1, sect. 5* talia scribunt, unde Logicam non inutilem modo verum etiam perniciosam esse concludendum sit (8).

Hiscæ vero S. Augustinus non aliud carpere voluit, quam præcepta superflua ac pene in infinitum multiplicata. Et ratio est, tum quia secus dicendum foret S. Augustinum omnes æque artes, ac nominatim oratoriam, eo in loco reprehendisse, id quod nemo certe crederet, tum quia paulo ante relata verba ipsemet S. Doctor: *Disciplina*, inquit, *conclusionum et*

(1) Vide Origen. *Homil. 2^a in Exod.*; Clement. Alexandr. *Lib. 1 et 6 Stromat.*; Hieron. in *Ezechiel*; epist. 103 ad Paulin. et alibi sæp.; S. August. *lib. 2 de Ordine* cap. 13; *lib. 2 de Doctrina christ.* cap. 36 etc.: qua de re Cfr. Conimbricenses, *Dialect. quest. 6 proœcial. art. 1*; Lossada, *Cursus philosoph. t. 1 Logic. tract. 1 proœcial. disp. 1, cap. 1, n. 6-10.*

(2) Conimbric. loc. nuper cit.; Cfr. Fonsec. *Instit. dialect. lib. 1, cap. 1.*

(3) S. August. *lib. 2 de Doctr. christ. cap. 37.*

(4) *Homil. 2 in Exod.*

(5) De *Præscriptionibus adversus hæreticos*, cap. 7.

(6) *Cap. ult. in Nahum et in Psalm. 104 et 105.*

(7) *Disput. select. in Logic. tract. 1, disp. 1, sect. 5.*

(8) *Vid. apud Conimbric. Op. et loc. cit. q. 6 art. 1.*

definitionum et distributionum plurimum intellectorem adjuvat; itemque in tractatu de *Ordine* superius laudato Logicam valde commendat; immo et alibi ejus necessitatem agnoscit (1), et Cresconium Donatistam carpit, quod Dialecticam reprehenderit (2). Quapropter quæ S. Augustinus alique modo citati scriptores contra Dialecticam scripsisse videri possunt, non contra artem ipsam dicta fuisse putandum est, sed solum contra artis abusum, et contra eam facultatem, quæ cum se Dialecticam videri optet, sophisticæ contentionis cavillis veritatem oppugnat» (3).

Quæres nunc fortasse utrum Logica sit ars vel scientia. Sed quæstio hæc, quam veteres acriter agitabant, commodius alibi tractanda est.

4. Logices variæ circumferuntur divisiones. Primo enim partitur in *naturalem* atque *artificialem*. Naturalis est ipsa innata vis intellectus et aptitudo ad recte ratiocinandum: hæc proinde cuique vel rudi homini modos quosdam disserendi faciliores sponte suggerit. Artificialis est collectio præceptorum ordinata, intellectum reddens promptum et expeditum ad recte disserendum. Naturalis est imperfecta et inchoata, perfecta vero artificialis. Quamquam nemini dubium est, Logicam naturalem artem non esse, sed nativam dispositionem, in eamque quadrare non posse allatam superius definitionem. Idem enim hic contigit, quod in reliquis artibus. Nam *sicut ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventæ est ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo facilius et ordinate hujus actus exercere potest* (4), ita etiam mens in seipsam suosque actus reflectens, artem invenit apte disserendi, quæ nativam facultatem juvaret, perficeret, completeretque.

Logica artificialis dividitur in *actualem et habitualem*: quæ divisio communis est cunctis scientiis, artibus, virtutibusque ac vitiis. Logica actualis sunt ipsa præcepta vel regulæ disserendi, seu dictamina, quibus intellectus in disserendo ducitur. Habitualis vero est qualitas mentis ex hujusmodi regulis

(1) *Lib. 8 de Civitate Dei*, cap. 13.

(2) *Lib. 1. Contra Crescon.*, cap. 13.

(3) Conimbric. *ibid. art. 2, fin.* Cfr. Lossada loc. cit. *tract. 1, disp. 1, cap. 1, n. 11*; Card. Aguirre, loc. nup. cit.

(4) S. Th. in 1.^æ *Poster. lect. 1.*

Sine scientia,
vel ars?

Divisiones:
1.^a in naturalem
et artificialem.

Artificialis
dividitur
in actualem et
habitualem.

ac dictaminibus generata intellectum juvans et inclinans ad facile repetendos actus talium regularum vel dictaminum (1).

Logica
docens et utens

Celebris apud veteres erat divisio *Logicæ* in *docentem* et *utentem*. Docens est, quæ præcepta recte disserendi tradit: utens, quæ præcepta hæc exercet atque in praxim deducit. «Ad hujus rei explanationem, inquirunt Conimbricenses (2), advertendum est in quacumque arte practica, quæ methodo et via traditur, aliquo modo distinctam esse doctrinam ab usu. Nam doctrina est illud dictamen sive norma, qua ars præscribit modum operis efficiendi, et quæ sine ullo opere existere potest; usus autem est ipsa operis executio, quæ est operatio supponens priorem normam, quæ dirigitur et regulatur. Exemplum desumatur ex arte pingendi, qua qui affectus est, primo concipit intellectu, quo pacto deducenda sunt lineamenta, et inducendi colores picturæ, quam molitur; quæ sunt præcepta artis: deinde penicillum sumit, producit lineam, addit colorem, qui est ejustem artis usus. Eodem modo se res habet in Dialectica. Nam qui instructus est habitu dialectico inclinante ad efficiendum syllogismum in *Barbara*, verbi causa, primo format hoc judicium: *syllogismus constare debet ex tribus universalibus affirmativis hoc modo complicatis*: qui actus potest esse absque illa syllogismi confectione. Deinde per actum distinctum conficit syllogismum ad normam prioris actus. Ac prior quidem actus est doctrina actualis; et habitus, qui illius causa est, appellatur *Dialectica docens*: posterior vero est usus; et habitus, qui ad illum concurrat, *utens Dialectica* nuncupatur» (3).

Non vacat autem nunc ea omnia meminisse, quæ præci Logici de hac divisione fusissime in disputationem vocabant, de quibus aliquid alibi dicetur.

Alia Logicæ
divisio in Minorem
et Majorem.

Sed omissis aliis divisionibus, quæ videri passim queunt apud veteres, dividitur Logica in *Parvam* seu *Minorem* et *Majorem*. Quæ divisio ut intelligatur, animadvertendum est, *Logicæ*, ut actus mentis doceat in veritatis assecutionem

(1) Cfr. Lossada, loc. cit. tract. 1, disp. 1, cap. 2, n. 2.

(2) Loc. cit. quest. proemial. 4, n. 2.

(3) Conimbr. loc. cit. quest. 4, proem. art. 2. Cfr. etiam Arriaga, *Logic. disp.* 3, sect. 1.

ordinare, multa tractanda esse, quæ partim spectant ad artificium ipsum ratiocinii rectamque syllogismorum structuram, partim ad condiciones aliquas generales actuum intellectualium respectu materiæ, circa quam versatur. Prima ergo illa objectum sunt *Logicæ Minoris*, hæc vero *Majoris*. Itaque *Logica Major* et *Minor* non sunt duæ species diversæ, sed duæ partes integrantes ejusdem disciplinæ, quarum altera nuncupatur *Minor* vel *Parva*, quia et brevior est et facilior, quamquam non exigui sane momenti.

Logica Minor a præcis AA. (1) passim vocabatur *Summulæ*, seu parva summa, non quia est compendium *Logicæ*, sed quia brevius stiloque magis præceptivo, quam scientifico, suscipit tractandas quæstiones faciliores ac magis necessarias, quæ ipsam argumentandi formam respiciunt. Unde ab aliis nomen accepit etiam *Isagoges* seu *Introductio ad Logicam*, quia non solum viam præparat ad reliquas scientias, verum etiam ad ipsam *Majorem Logicam* manducit, utpote quæ, cum res investiget abstrusiores, præeuntem requirit cognitionem artis syllogisticæ (2).

Logica Minor
vocat
Summulæ
et

Isagoge et
Introductio in
Logicam,

Tandem *Logica Minor* vocatur etiam a recentioribus, *Dialectica* et *Logica formalis*, per oppositionem ad *Majorem Logicam*, quæ simpliciter *Logica* appellatur aut etiam *Logica materialis*; ideo fortasse quia *Minor* formas argumentandi explicat eaque omnia enucleat, quæ ad ipsam dispositionem et ordinationem actuum rationis spectant; *Major* vero in actibus ejusmodi non considerat ordinationem ac dispositionem variam, secundum quam institui possunt ad veritatem attingendam, sed alias eorumdem affectiones materiam potius et objectum respicientes.

Dialectica
et Logica for-
malis.

Atque his tandem duabus partibus absolvitur non modo ars ipsa syllogistica, sed illa etiam omnia, quæ ad reliquas scientias facilius assequendas requiruntur. Et hanc nos quoque divisionem usu jam communi ac diuturno comprobata sectabimur.

(1) Post Petrum Hispanum, qui summularum auctor fuisse dicitur.

(2) Cfr. P. Sylvester Mauri. *Quæst. Philosoph., Summulæ seu Logica brevis*, proem. Cap. 1.

Logicæ inventor.

5. Jam si de inventore Logicæ quæras, credendum est ante omnia, Adamum, generis humani protoparentem, a Deo simul cum aliis scientiis Logicam quoque infusam accepisse. Cum vero decursu temporis pene tota Logica artificialis perierit, pedetentim instauranda fuit; et quamvis et Critici et Historici, alii aliis, palmam inventionis attribuant, vel potius inter varios Philosophos dividant, doceantque ante Aristotelem plura de re logica tradidisse præcepta Zenonem Eleatem, Socratem, Platonem et alios; tamen Aristoteles Dialecticam primus ad artis formam redegit; et novis certe partibus amplificavit, perfecit atque ita numeris omnibus absolvit, ut jure merito princeps in hac arte habitus fuerit, immo et ob eam causam inventor ejusdem a multis dici meruerit (1). «Nam in libris *Peribermias* elementa, naturam et proprietates Enuntiationis explicat: in *Topicis* probabilium argumentorum locos aut sedes copiose tradit: in *Elenchis* omnium sophismatum genera distincte detegit: in *Categoriis* notiones aut ideas rerum generales formare docet, ad definiendum ac dividendum aptas. Multa etiam super *Definitione ac Divisione* disserit sparsim in *Metaphysicis* aliisque libris. Ac demum in *Analyticis* artem syllogisticam, in qua neminem prælucentem habuit (2), a fundamentis excitat, et mira ingenii felicitate consummat» (3). Postea vero a Porphyrio addita sunt *Quinque Prædicabilia* magnam partem ex Aristotelis doctrina excerpta (4): ac denique multo serius a Petro Hispano primum, ut quidam scribunt, *Summulæ logicales* concinnatæ sunt atque ab aliis quæstionibus difficilioribus segregatæ (5).

Cætæræ vero circa naturam Logicæ controversiæ alibi opportunius tractabuntur. Itaque jam ad *Summulas* seu *Logicam Minorem* accedendum est.

(1) Vide ipsum Arist. Lib. 2 *Elenchor.* cap. ult.; S. Isidor. Hispalen. lib. 2 *Origin.*, de *Dialect.* n. 1.

(2) Vide Aristot. in lib. 2 *Elenchor.* cap. ult.

(3) Lossada, loc. cit. tract. 1, disput. 1, cap. 1, n. 14.

(4) Cfr. Tolet. Proœm. in *Porphyrii Quinque Prædicabilia...*; Cornimbricæ. Proœm. Commentar. in *Isagogem Porphyrii*.

(5) Vid. P. Barthol. Amici. In *Universam Aristot. Logicam*, tract. 1.°, q. 2, dub. 1, art. 1 et 2; Lossada, loc. cit. tract. 1 disp. 1, cap. 1, n. 14; Complutenses, in *Aristot. Dialecticam*, proœmio *De nomine et auctore hujus tractatus*.

LOGICA MINOR.

6. Actus mentis, quem dirigere Logica debet ad verum assequendum, est operatio quædam, qua res aliqua percipitur, seu cognoscitur, atque animo repræsentatur. Vocatur passim *cognitio*, *notitia conceptus*, *intentio mentis* (1), *cogitatio*, (2) *intellectio*, *verbum mentis* (3) aliisque nominibus quæ proprio in loco declarabuntur.

Quid actus mentis.

Actus autem omnes cognoscitivi, quos elicit intellectus in veritatis investigatione, ad tres omnino revocantur, *simplicem nimirum apprehensionem*, *judicium et ratiocinium* (4). Etenim quidquid menti nostræ contemplandum occurrit, ita cognoscimus, ut vel solam rei habeamus notitiam, instar intuitus cujusdam, nihil de ea affirmantes aut negantes, vel de re sic percepta aliquid affirmemus aut negemus. Si primum contingat, actus ille *simplex apprehensio*, seu perceptio; si alterum, *judicium* nuncupatur. Sed judicium ejusmodi vel pronunciatum statim cognitio terminis et ex mera objecti propositione, vel nonnisi ex successiva binorum terminorum cum tertio quodam comparatione, nimirum unum judicium ex alio vel aliis inferendo. In primo casu existit actus qui judicium immediatum aut propositio vocatur, in altero judicium mediatum seu *ratiocinium*.

Quotuplex.

Exempla præsto sunt innumera: cogito *Deum*, *mundum*, *hanc chartam*, nihil de his objectis judicando, sed id solummodo mente versando quod simplices hæ voces significant; et

(1) Hæc itaque *intentio* differt a voluntatis proposito aliquid faciendi, quod vulgo intentio appellatur.

(2) Nihilominus «*cogitatio proprie in inquisitione veritatis consistit*», ut docet Aquinas (1 p. q. 34, a. 1 ad 2.^{am}), atque adeo non identificatur cum qualibet cognitione.

(3) Vid. S. Thom. de *Verit.* q. 4. a. 2., et alibi sæpe.

(4) Vid. S. Th. *Periherm.* lib. 1, lect. 11; 1.^o *Poster.* lect. 1, et auctores alios passim.